

Ex quibus tamen concludi non debet, quasi temperamentum sit immediatè causa vel impediendi, vel promovendi voluntatem in homine. Nam voluntas sæpè quidem temperamentum sequitur, sed non necessariò. Voluntas enim libera quatenus libera, non cogitur à temperamento ad iram, sed tantùm inclinatur. Unde rectè ab Aristotele media hæc, Natura, Doctrina & assuefactio sive educatio, quibus homo temperamentum suum quantumvis malum corrigere potest, sunt tradita: Verba ejus hæc sunt: *γίνεσθαι δὲ ἀγαθὰς ὁμιλίαις, οἱ μὲν φύσει: οἱ δὲ ἔθει: οἱ δὲ διδασχῆ.* Velst. Cent. quæst. Eth. decad. 4. quæst. 10.

Quæstio IX.

Quid de fato sit habendum; utrum aliqua ratione inter causas efficientes universi possit numerari?

De fato tot penè extiterè quondam sententiæ, quot disputantium fuere capita. Quot verò fatui illius fati fuerint propugnatores, hujus loci non est prolixè commemorare. Acerrimè omnium id defensum ivit Stoica secta, cujus sententia videatur apud Finc. exer. Acad. 6. Meritò autem Stoicorum impiam istam sententiam, è veritatis Repub. proscribendam esse, hæc brevissimæ evincunt rationes & argumenta 1. Si omnia fiunt ex necessitate, nihil opus fuerit consultationibus in aggradiundis rebus humanis 2. Si omnia fiunt Fato, Deus peccatorum autor constituitur. 3. Usus præmiorum quæ recta facientibus proponuntur; & pænarum, quæ malè se gerentibus, infliguntur, tolleretur. 4. Sententia de Fato ipsis repugnat sensibus. Vid. Finc. exerc. Acad. exer. 6. de hoc ipso fusius differentem. Nobis paucula hæc, quasi ὡς ἐν τῷ πῶ dicta sufficiant.

Veram de Fato & genuinam sententiam cum Suarez esse aimus, ut se solum extendat ad effectus naturalium causarum, ad quos neq; Angelica neq; humana Creatura sua libertate ullo modo concurrat, sed qui ex serie & ordine causarum universi inevitabilium per causas secundas, & per primam, secundum ordinariam potentiam, & secundum modum operandi & concurrenti, hujusmodi causis connaturaliter debitum, aut etiam ex immutabilitate alicujus decreti, vel præfixionis ipsius DEI, non tamen ex absoluta potentia & voluntate ejus promanet. Quærenti, an talium effectorum respectu fatum sit causa efficiens, vel ratio quædam? Respondetur, efficientem non esse, utpote quæ ad necessitatem inducendam sola non